

**De syphilde neonatorum : dissertatio inauguralis medica ... / autor
Guilelmus Ries.**

Contributors

Ries, Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Brüsckianis, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eaj9wmq5>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
SYPHILIDE NEONA
TORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOS
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUTOR
GUILIELMUS RIES

HAMBURGENSIS

OPPONENTIBUS:

A. HEICHELHEIM, MED. et CHIR. DR.
F. IPPEL, MED. et CHIR. CAND.
H. JONAS, MED. et CHIR. CAND.

BEROLINI MDCCCXXIV.
FORMIS BRÜSCHKIANIS.

VIRI

DOCTISSIMO SUMMOQUE COLLEGO

EDUARDO BOEHR

NEC NON

EPICHAE & CHIRURGIAE DOCTORI MEDICO

APUD BRNO LINENZES PRACTICO

INACCEPTORI SUO HONORATISSIMO

DILECTISSIMO

VIRO DOCTISSIMO

H. M. COHN

DOCTORI MEDICINAE et CHIRURGIAE,
ARTEM MEDICAM, CHIRURGICAM et OBSTE-
TRICIAM FELICISSIME HAMBURGI
EXERCENTI,

NEC NON

AMICO CARISSIMO, DILECTISSIMO
NATH. IS. HEINE

NEGOTIATORI HAMBURGI,

OB SUMMA

IN SE MERITA ET BENEFICIA,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

EXIGUUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

P r a e f a t i o .

De morbo, quem Syphilidem neonatorum vocamus, ceteros medici parum disseruerunt, quod quidem variis nititur causis: primo quod morbus ipse non tam frequens olim, quam nostris temporibus, fuit; tum quod de infantibus, hoc morbo affectis, cum per paucos tantum menses vitam degant, neque per tempus satis diuturnum, neque satis accuratas quaestiones instituere potueris; morbi denique diagnosi revera difficillima est variaque eius symptomata aliis cum morbis, v. c. morbo scrofuloso facile confundi possunt. Recentiores vero iis de Syphilide neonatorum collectis observationibus, et eae ratione, qua illi medemur, et qua in neonatis contagium nascitur, generalia et certa quaedam proponere conati sunt. Syphilis igitur neonato-

rum cum morbus sit tanti momenti tamque gra-
vis, cum infantes, eo affecti, cura rationali et ra-
dicali neglecta, per breve tantum tempus vita
fruantur, cum morbi ipsius et incipientis et decres-
centis tantum proprii insit, ut a syphilide adul-
torum plane differat, nonnullos infantes, hoc morbo
affectos, nostra in urbe observandi occasione mihi
oblata, de morbo illo hoc mihi specimen scriben-
dum esse censi. De syphilide neonatorum non
uberius quid et copiosius reipublicae litterariae
propositum esse inter omnes constat; in libris
enim, in quibus de syphilide universali vel sin-
gulis eius formis agitur, tota haec res paucis tan-
tum absolvitur. Quare huius morbi descriptio-
nem in dissertatione inaugurali exhibendo haud
vanam neque inutilem rem me aggressurum esse
dixi. Nequaquam me fugit, de hac re pauca tan-
tum nova et fere nil novi proferri posse; iuvene
vero, e musarum sede vix ac ne vix quidem di-
misso, quid novi, quum experientiae ratio haben-
da sit, expectes? Quare faveas, quaeso, benevole
lector, huic exiguo specimini, quod quaestiones
tantum, quas illi viri docti de hac re instituerunt,
collectas, in unum redactas diiudicatasque continet,
serenaque fronte ut has studiorum primitias acci-
pias oro rogoque.

Symptomatologia.

Symptomata, quae in neonatis lue affectis saepissime observantur, haec sunt: ophthalmia neonatorum, quae conjunctivitis medorrhoeicae speciem praese fert; pustulae purulentae; ulcera; tumores; aphthae s. tumores venerei in ore; pustulae lividae, crustaceae vel ulcerosae; ulcera venerea in genitalibus et in orificio ani; rhagades denique et tubercula in manibus et pedibus.

Nosographia.

Die post natalem octavo, decimo vel decimo quarto prima plerumque syphilis signa ostendit. Tales pueri praecipue lividi, macilenti sunt, cutem subnigram, aridam habent, debiles sunt, frigidi, quasi obstupefacti; simul autem inquieti, praesertim in calore, cum motibus frequentibus artuum et oris et leni cum vagitu. Cutis imprimis circa anum, perinaeum, scrotum vel vulvam maculis obtegitur varii ambitus, initio magis rubri coloris, sensim autem sensimque in fuscum, atque intra aliquot septimanas in ulcera superficialia, lardacea et serpentina abeuntibus. Quodsi contagium syphiliticum nunc inter partum in puerum agit, hae

maculae in iis praesertim apparent locis, quae vehementer premebantur, sic in pluribus locis capitis, circa supercilia, frontem, humerum, umbilicum et in regione ossis sacri. In toto corpore porro exanthemata venerea, plerumque diffusa et singularia, raro frequentia, observantur: stigmata minora et acuminata quam variolae, quae tandem parva tubercula materiei flavae formant, in fundo rubro, sublimi, quaeque post supurationem maculas fuscas cuprei coloris relinquunt; aut tumores plani, magni et profundi oriuntur, qui suppurantur et crustas crassas atque duras formant, quibus remotis ulcera dolorifica, spongiosa oriuntur, quae tarde sanescunt et cicatrices relinquunt. Ceterum maculae luridae, rubrae, coeruleae vel fuscae, irregulares, paululum prominentes observantur, quae interdum laticem et quidem saepe cruentam exsudant; vel exanthema crustaceum, interdum tenax, oritur, psoriasis syphilitica vel lepra venerea dictum: maculae maiores vel minores, quae interdum rubrae, paululum asperae et elevatae sunt, interdum excoriationes formant, ubi tum crusta tenuis in iis oritur, rhagadibus et fissuris interscissa. Inter maculas etiam tubercula laevia, nitida, rubra vel sine colore, rotunda et in apice paulum plana inveniuntur, quae diu non mutantur, interdum autem crustam parvam formant. Oriuntur in facie, dorso, pectore et extremis partibus, etiam in orificio ani, ubi saepe suppurata inveniuntur.

Si virus syphiliticum partes afficit, quarum superficies aliquid secernit, inflammatio earum atque secretio augentur. Hac ratione interna palpebrarum pars, nares atque aures affici possunt. Oculus, si afficitur, quod,

ut auctores proponunt, primum luis venereae signum est, initio ruber et sensibilis fit, et inflammatio quandoque exigua, quandoque gravis est. Haec ophthalmia neonatorum, quae varia nomina nacta est, ut ophthalmiae purulentae, oculi purulenti, purulent ophthalmia of infants, Blepharoblennorrhoeae, Ophthalmoblennorrhoeae, ophthalmiae puriformis, lippitudinis neonatorum, a photophobia cum rubore levi conjunctivae palpebrarum, praecipue in interno oculi angulo, et palpebrarum pruritu incipit. Palpebrae mucō glutinoso obteguntur, qui indurescit atque eas conglutinat; si aperiuntur, lacrymae ex oculo effluunt. Praeterea conjunctiva palpebrarum intumescit, atque iste tumor initio mollis, elasticus est, et facile sanguinem emittit. Paulo post photophobia atque mucī secretio increscunt, mucus puriformis et quidem purulentus redditur, tumor conjunctivae palpebrarum, praesertim palpebrae superioris, et rubor augentur, atque, si nunc, palpebris antea tepida aqua mollitis, oculum aperire velis, tingens copia puris ex albo-viridescens, ut ex urethra in gonorrhoea, effluit atque interdum totas genas obtegit. Iam oculi bulbus saepius pure adeo obductus est, ut externae eius membranae vix discerni possint. Si oculum ab hoc pure liberaveris, si tantum blepharoblennorrhoea adest, conjunctivam bulbi paulum rubefactam invenies, conjunctivam palpebrarum autem ruberrimam atque tumefactam. Si contra ophthalmoblennorrhoea adest, conjunctiva etiam oculi vehementer rubet atque adeo tumet, ut totam paene corneam obtegat. Tum haud raro accidit, ut haec lippitudo in pessimam oculi ipsius suppurationem atque caecitatem

abeat, vel staphylomata orientur, quae visum impediunt vel plane auferunt. — Etiam e naribus interdum latex puriformis et quidem saniosus effluit, oritur coryza venerea, interdum autem gravedo adest, dum pus siccit. Nonnunquam in apice narium macula quasi nigra observatur, quae fovea est, quam pustula plana vel etiam paululum elevata fecit, et saepe celeriter in gangraenam transit. Nec minus ex auribus simile quid effluit, atque hunc aurium fluxum una cum lippitudine nonnulli certa ac pathognomonica luis venereae infantum signa esse putant.

Ceterum syphilis neonatorum hisce symptomatibus cognoscitur:

In parte capitis cum pilis obiecta ulcera oriuntur, quae ambitum nucis avellanae et ultra habent, atque mox increscunt albescuntque; ex iis latex saniosus effluit, qui malum spargit odorem; denique nigrescunt. Pustulae, quae in hac parte oriuntur, variolis similes sunt, attamen multo planiores; adeo celeriter in supurationem abeunt et siccescunt sine ruptura. Tumores, qui in pilosa capitis parte apparent, interdum rotundi durique sunt et furunculis similes, interdum formae irregularis atque molles. Saepe diffusi et singulares adsunt, nonnunquam autem sat confluentes. Non dolent, plerumque discutiuntur, vel in abscessus transeunt, ubi per aliquot dies characterem inflammatorium assumunt. Praeter caput humeros, latera spinnae dorsi et anum occupant; in regione lumbali saepe tumores lati, elevati, molles, nigri inveniuntur, qui plerumque tantum in externis tegumentis sedem habent.

Facies interdum livida est, interdum tota cutis ni-

græ, arida atque rugosa est, ita ut pueri senum speciem præ se ferant. Haec neonatorum lue syphilitica affectorum facies iam primis vitae mensibus observatur, adeo ut infantes septuagenariis similes sint. Applicarum rugarumque eadem ubique forma est, quare pathognomonica luis syphiliticae infantum signa haberi possunt. In facie etiam pustulae parvae, aridae, atque scabellae, quae inflammantur, apparent. Interdum in facie et in regione umbilici erysipelas inflammatorum oritur, quod primum maculam parvam, rubram et planam refert, mox autem celerius vel tardius increscit et totam faciem occupat.

In ore inveniuntur aphthae, ulcuscula plana, albida in interna genarum parte, in faucibus et palato molli, quae celeriter has partes exedunt destruuntque; porro ulcera venerea cum fundo impuro livido et marginibus duris elevatis in labiis vel in gingiva; verus frenulum linguae vel in lingua ipsa speciem inflammatoriam habent et partium ustarum vel erosarum formam assumunt; tum interdum pustulae vel vesiculae oriuntur ex stigmate parvo purulento, quae in ulcera venerea transeunt. Labia hiscunt et etiam in angulis oris ulcuscula parva observantur. Ad haec omnia accedit, ut humore partes erodantur maxime, quae aëris accessui patent. Morbo increscente ulcera illa oris in destructiones maximas abeunt, ita ut respirationem impediunt; inde vox rauca, clamores nocturni, noctes insomnes, deglutitio difficilis, tabes et denique mors.

Ulcera in pectore et in lateribus rariora sunt, saepius autem circa umbilicum, in abdomine, in inguini-

bus et in regione axillari, in osse sacro et circa anum oriuntur. Haec ulcera vel magna vel parva sunt, et quidem lardacea; erosionum simplicium cutis speciem referunt, mox autem latiora fiunt, partes proximas erodunt atque saniem foetidam edunt; initio colore albido sunt crusta alba vel lurida aut parvis punctis farinaceis tecta, tandem nigrescunt et gangraena afficiuntur.

Rhagades et pustulae circa anum ad frequentissima symptomata pertinent. In pueris interdum ulcus cancerosum rotundum in glande conspicitur. Apparet hoc ulcus sub forma pemphigi venerei, bullae crystallinae singularis variae magnitudinis, quae lympham tenuem vel crassam, pellucidam vel obscuram, flavam, rubram, acrem continet, quae in aliis locis pruritem et dolorem efficit. Evanescent et saepe redeunt, haud raro in suppurationem abeunt. Fluxus ex urethra rarissime occurrit; saepius apparent dysuria, inflammationes et ulcera circa scrotum. In puellis urina interdum ardorem efficit et nonnunquam inde tumor labiorum oedematosus oritur; ex vagina latex subflavus effluit, qui ab excretionem humoris aquosi, quae in omnibus puellis statim a partu observatur, bene distinguendus est.

In extremis partibus pustulae purulentae, tumores mucosi et aquosi oriuntur. In digitis pustulae magnae apparent, quibus interdum ungues perduntur; etiam exanthema scabiosum nonnunquam inter digitos apparet. In pedibus praeter oedema, pustulas et unguium iacturam etiam rubor et inflammatio in calce observatur. Pustulae et ulcera, quae in extremis partibus

riuntur, ad ossa facillime penetrant, quae carie affiuntur. Praesertim id fieri solet, si cum syphilide morbus scrofulosus coniunctus est. Infantem vidi, qui in brachiis et genis carie syphilitica laborabat pertinacissima. —

Quando syphilis localis puerorum in universalem transeat, nunquam tam certo ut in adultis definiri potest. Attamen eam suspicari poteris, si cum symptomatibus, quae prius certum locum occupabant, exanthemata per totum corpus propagata, maculae coeruleae et coloris cuprei, ulcera in cute et tumores glandulosi totius corporis, praesertim sub axillis et in collo, se coniunxerunt, et si infans faciem propriam, magis plenam, nanciscitur. Infantes tunc macie corripuntur et cum carie vita eorum desinit.

Dignosis syphilidis neonatorum signo unico niti non potest, sed summa omnium symptomatum unam inquisitione sanitatis matris decernere debet. In neonato enim ulcera et pustulae, fluxus vel denique tumores et condylomata adesse possunt, attamen propter id contagium venereum assumere non convenit. Sed si unum horum symptomatum natura et vehementia sua specificum characterem praebet, aut si plura se coniungunt, pertinaciter persistunt aut invicem consequuntur, illud subesse iudicandum est.

Pustulae purulentae, haud frequentes, quae iterum non apparent, si semel evanuerunt; pustulae rubrae, diffusae, elevatae, evanescentes vel sicescentes; tumores in facie, in dorso et in brachio, qui in suppurationem abeunt; erysipelas phlegmonodes, quod interdum tumores non suppurantes invadit; omnia haec sympto-

mata signa dubia haberi possunt. Quodsi autem pustulae purulentae frequentes sunt, aut, quamvis non frequentes, iterum apparent, si semel evanuerunt; si pustulae planae sunt, colorem lividum referunt, in suppurationem abeunt aut tarde siccescunt, atque vestigia relinquunt maculis scorbuticis similia; si tumores, sive suppurent sive phlegmonodis naturae sint, valde frequentes sunt, aut magna copia invicem consequuntur; si denique omnia haec varia phaenomena post alia symptomata apparent, quae syphilitica habebantur, quaeque celeriter evanuerunt; de morbi natura atque causa haud dubitandum est.

Haud raro excoriationses suppurantes in orificio ani et pustulae circa scrotum aut in inguinibus infantum, qui male nutriuntur aut negligenter curantur, apparent. Negligentia in lavando et inopia linteorum purorum efficiunt, ut excrementa per se iam acria in has partes agant. Sic epidermis in partibus frictioni expositis mox destruitur, et cum quotidie squalores cicatricem vulnerum illorum impediunt, ulcera circumscripta oriuntur, quorum basis nigra et margines suppurantes sunt. Ex iisdem causis, coniunctis cum onere corporis semper in unam eandemque partem cubantis, et continua talium partium frictione, ubi epidermis valde tensa est, intelligi potest, quomodo ulcera in ano et in articulis neonatorum, qui per aliquod tempus neglecti erant, oriri possint. Quodsi autem haec excoriationses atque haec ulcera ex pustulis vel variolis suppurantibus prodeunt; si plures hebdomades post partum et deinceps apparent; si celeres progressus faciunt, quamvis remedia aptissima contra ea in usum

ocata sint; si denique cum nonnullis aliis signis, per decernentibus, complicata sunt, tales infantes lue venerea affectos esse credendum est.

Sic etiam ophthalmia levis, quae tantum excretionem mucosam, paululum purulentam, ostendit, signum syphilidis est valde incertum. Quodsi autem haec ophthalmia est purulenta, atque oculi brevi tempore destruantur, aut maculis albidis obteguntur, congressum venereum sat patet.

Certissima syphilidis signa sunt: pustulae planae lividae in superficie cutis, aut in genitalibus et in orificio ani; ulcera syphilitica in superficie interna labiorum pudendorum externorum, in frenulo et in orificio ani; pustulae in glande, quae in suppurationem decurrunt; ophthalmia purulenta; fluxus e naribus purulentus et saniosus; ulcera syphilitica in labiis, lingua, palato et in palato mobili; ulcera in capite, circa umbilicum, in axillis; caries, quae abscessos in partibus ossibus sequitur; pustulae denique purulentae et frequentes in manibus et pedibus. —

Hecker 1) symptomata syphilidis neonatorum magis variare proponit, prout infantes in transitu per matrem contagio vel ulceris syphilitici vel fluoris albi infecti sint. Si ex fluore albo contagio subest, decursus quidem morbi longus [ipseque minus vehemens, curatio tamen multo difficilior est. In partibus pri-

1) Deutliche Anweisung, die venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln, Erfurt, 1791.

num contagio affectis modo nulla symptomata observantur, modo inflammatio tantum oritur, quae fere evanescit, et in eadem aliisve partibus recrudescit. Infantes cuti mollissima gaudent, in qua rarissime maculae observantur, facie paulo turgidiori. Sic saepe aetatem unius vel etiam duorum annorum assequuntur. Tum sensim sensimque ossa tumescunt, cuti interim haud mutata. Qui ossium affectus decursum tardum absolvent, ipsaque parum dolent et denique in paedarthrocacem transeunt, quibus et ipsa et articuli plane destruuntur. Uno eodemque tempore varii glandularum tumores in inguinibus, pone aures, sub brachio oriuntur, qui diu sine doloribus persistunt, tandem inflammantur et in suppurationem abeunt; ulcera sic orta fundum spongiosum praebent, colorem albidum et lardaceum, et pus, quod in iis gignitur, lacti simile est. Praeterea impetigines pertinacissimae, praesertim tinea, ophthalmiae purulentae, otorrhoea, tussis, blennorrhoeae e naribus et in puellis in genitalibus, quae simul vehementer pruriunt, oriuntur. In pueris eiusmodi animi facultates velociter excoluntur, et extremae partes inferiores macrescunt debilesque persistunt. Quando symptomata ista mitiora sunt, aetate proveciore et in puellis maxime sub primis menstruis sponte evanescunt; sin autem sunt maioris momenti, febris lenta aegrum paulatim conficit.“

Haec morbi imago morbo scrofuloso atque rhachitidi similior est, quae cum syphilide, praesertim in pueris, arcte coniunguntur, adeo ut syphilis gradatim in eas transire possit. Pro vera autem syphilide vel mo pro modificata vel larvata symptomata illa haberi

non oportet, quoniam in pueris saepe observantur, si ex matribus nullo modo syphiliticis nati sunt, atque pueri cum aliis lues veneream communicare omnino non valent; praeterea aetate proveciore sponte evadunt, quod quidem saepissime in morbo scrofuloso et rhachitide, nunquam autem in syphilide ad ultimum usque gradum evecta fieri potest.

A e t i o l o g i a.

Eandem naturam, quam lues venerea in adultis praesertim, etiam in pueris praebet. Morbi sedes in systemate lymphatico est, quod malo augescente omnino mutatione mutatur.

Contagium syphiliticum aut per parentes aut per matrem in pueros transferri potest. Parentes triplici modo neonatis id impertire posse dicuntur: primo in conceptione, tum gestationis tempore, denique in partu. haec divisio facta est in lues infantum connatam et postpartu acquisitam.

Vulgo creditum est, in ipsa conceptione contagium syphiliticum cum foetu morbum ipsum excoli. Patris semen virus syphiliticum continere, et foetui per se ipsum, quamvis ceteroquin mater optima valere gaudeat, morbum inferre dicitur.

Swediauer²⁾ patris semen foetui contagium impertire posse contendit, negat tamen matrem foetui

W von der Lustseuche, aus dem franz. von Kleffel, mit Anmerkungen v. K. Sprengel, 2 Bde. 1803.

in utero hoc inferre posse. Nunquam post partum in pueris ulcera aut alia contágii syphilitici manifesta signa observaverat, et haec ulcera, quae quatuor, sex aut octo diebus post partum in genitalibus, in ano, in labiis, in ore, etc. oriuntur, aequae ac fluxus e genitalibus et oculis, a contagio, quod in transitu per vaginam matris ex ulceribus ibi locum habentibus concipiunt, dependere putat.

Fleisch 3) syphilidem cum foetu in utero contento a matre communicari posse existimat, quia multi medici infantes matrum lue syphilitica affectarum iam in partu omnibus huius morbi symptomatis affectos viderint. Sic Gruner 4) puerum toto corpore scabie venerea affectum in lucem proditum atque post aliquot dies mortuum esse narrat. Rosenstein 5) et Fabre 6) similes observationes litteris mandarunt. Hunter 7) mulierem syphiliticam gemellos parere vidit, exanthemate toto in corpore affectos, qui mox mortui sunt. Quodsi opinio, Fleisch inquit, qua infantes haud prius quam in partu infici creduntur, plane recta est, haud difficile foret, contagium hac ratione omnino arcere; virus enim syphiliticum in neonatis

3) Handbuch über die Krankheiten der Kinder, Leipzig 1803. Bd. 1. S. 425.

4) Almanach für Aerzte u. Wundärzte auf d. Jahr 1784.

5) Anweisung zur Kenntniss u. Kur der Kinderkrankheiten, a. d. Schwed. von Murray, mit Anmerk. von Loder u. Buchholz, 1798.

6) Maladies veneriennes, p. 263.

7) Ueber die venerischen Krankheiten, 1787. 8.

tantum in superficie corporis haeret, ubi neque tanta copia neque adeo concentratum adesse potest, et quidem ex hisce causis:

1. Si partus facilis est, liquor amnii vaginam purgat, et virus syphiliticum, nisi totum, maximam tamen eius partem aufert, et, quod restat, valde dilutum esse debet; aut:

2. Si partus difficilis est et tarde sequitur, vagina siccescit et status oritur inflammatorio propinquus, quo nihil secernitur, quare etiam virus copia haud admodum magna adesse potest. Quodsi nunc etiam partes genitales adipe aut oleo quodam illinuntur, quod his rerum sub conditionibus semper fit et fieri debet, nonne haec remedia aptiora sunt, veneni resorptionem impedire quam promovere?

Virus ipsum, pergit Fleisch, non sat celeriter resorberi potest, nam 1. totum infantis corpus mucos vel vernice caseosa tectum est, quae venenum impedit, quin statim usque ad cutim penetrare possit. 2. Aer atmosphaericus in cutem neonati tanquam stimulus agit et vasa spastico modo claudit, quare resorptio itidem retardari debet.

Has causas sufficere credit, ut nobis persuadeamus, virus syphiliticum non celeriter et statim post partum aut potius durante partu, sed demum post aliquod tempus resorberi et in infantis corpus recipi. Sane plerumque sat spatii habemus ad neonatum remediis lavandum, quae omne venenum auferre atque contagionem plane impedire valent.

Similem opinionem de hac re Iahn 8) profert: Virus cum foetu in utero a matre syphilitica communicari posse haud negat, neque absonum ei videtur, patrem lue venerea affectum ovum inficere posse. Patrem enim, inquit, primam materiam ad foetum dare, hanc autem non tantum auram vel spiritum, sed corporeum quid esse, unde contagium vere transire in fœns corpusculum possit.

Consentit cum hac opinione etiam Bell 9) Syphilitidem aequè morbum hereditarium esse dicit ut alios morbos, v. c. arthritidem, phthisin, morbum scrofulosum, qui a patre ad infantes transferri possint, quibusque solum infantes neque antea matres inficiantur. Concedit etiam matrem syphiliticam per graviditatem foetui virus inferre posse.

Hufeland 10) haec habet: Quamquam transitus luis venereae a patre ad foetum negatur, et equidem libenter credo, nunquam luem veneream propriam hac ratione propagari, eo certius tamen mihi persuasum habeo, proles delicta parentum saepissime morbi scrofulosi nomine ferre debere. Si consideramus, semen principium roboris aut debilitatis novi corpusculi continere, imo germina ad certos morbos, v. c. lithiasin, arthritidem, phthisin, eo propagari posse, facile intelligi

8) Neues System der Kinderkrankheiten, 1803. 8.

9) Abhandlung über den böartigen Tripper und die venerische Krankheit, 2. Th. 1794. 8.

10) Bemerkungen über die Blattern u. verschiedene Kinderkrankheiten, S. 501.

illi videtur, semen libidine praegressa robore privatum etiam a semine integro diversum esse maximeque debilitatem et atoniam systematis lymphatici talem in seipsum prae se ferre. Cuiusmodi id, quod morbum et dispositionem scrofulosam nominamus, praecipue in debilitate et atonia systematis lymphatici et in secretionum humorum prava constet, haud dubito, hunc in tantum morbum pro effectu excessuum in venere et mania habere.“

Iam verò quaestio, utrum a parentum alterutro syphilitico possit embryoni in ipsa generatione virus transfundi venereum, iure multis dubitationibus obnoxia est. Nam 1. etiam in summo morbi syphilitici gradu nequaquam omnes humores ita mutantur, ut omnes omnem inficiendi facultatem adipiscantur, omniumque vim minime semen. 2. Innumera medicorum experimenta testantur, nunquam pueros cum verae lue venereae signis in lucem prodire, sed signa huius morbi octavo demum vel decimo die apparere. Observationes a doctissimis medicis accurate institutae ostenderunt, matrem non syphiliticam nunquam partum syphiliticum edere, quamvis pater generationis tempore lue venerea laboraverit. Quinetiam assumuntur, quum saliva, sanguis et lac matrum syphiliticarum contagium non ferant, idem etiam de semine patris. Semen patris syphilitici, sanguis matris lue venerea affectae et lac nutricis syphiliticae depravata sunt et corrupta, sed syphilitica esse non possunt. Huiusmodi degenerati humores organismum non sat nutriunt et nutriunt, quare etiam experientia docet, filios lue universali affectas rarissime vivos infan-

tes parere, aut, si vivunt, tamen aegrotos. Plerumque fit, ut mater absque manifesta causa mense sexto vel septimo partum edat exanimem; aut motus foetus inter mensem sextum et septimum desinat, et infans postea, graviditatis tempore praeterlapso, mortuus et semiputris in lucem prodeat. Si talis infans vivit, valde tamen macilentus est, faciem rugosam praebet, et brevi moritur; sub omnibus his causis contagii syphilitici transitus haud probari potest. Omnes humores mulieris labe venerea affectae corrupti sunt, omnes functiones non tam celeriter procedunt quam in gravida sana; quare etiam fit, ut nutritio foetus impediatur, ut foetus vel ante tempus moriatur vel macrescens et debilis in lucem edatur; attamen haud contendi potest, totum talis mulieris corpus contagio syphilitico inquinatum esse, ita ut partum edat lue universalis affectum. Quare neque patris syphilitici semen in conceptione, neque matrem veneream foetui durante graviditate contagium syphiliticum impertire posse credo. Existimo autem, quod etiam celeberrimorum medicorum, v. c. Hunter, Girtanner, Horn, Richter, experientia confirmatur, neonatos tantummodo durante partu in transitu per vaginam infici. Quare mater tum demum foetui contagium syphiliticum impertire potest, si ulcera syphilitica vel fluorem album syphiliticum in genitalibus habet, et quidem foetu per vaginam transeunte. Infantis neonati cutis tenerrima subtilissimaque est, adeoque sensibilis per totum corpus, ut postea per totam aetatem in glande et in labiis; quare ad contagium syphiliticum recipiendum aptissima est. Signa autem contagii recepti

semper, ut iam proposui, secundum celeberrimorum medicorum auctoritatem post dierum octo vel duodecim spatium observantur. Quodsi Fleisch et Jahn ob vernicem caseosam, qua neonati plerumque tecti sunt, talem contagii transitum fieri non posse probare conantur, obliti sunt, nihilominus multas partes valde sensibiles esse et persistere, quod praecipue de oculis, labiis et genitalibus valet. Neque omittendum est, hoc tegumento et praecipue frequentibus lotionibus saepissime infantes a syphilide liberos servatos esse.

Quod infantes interdum germen contagii syphilitici secum in lucem proferre, hoc vero post annorum viginti aut triginta spatium erumpere dicitur, ut Rosenstein, Sanchez aliique putant, extra omnes experientiae limites positum est. Iam Astruc 11) saepe se Rhachitidem vidisse aut affectus rhachitidis congeneres affert, strumas aut strumosos glandularum meseraicarum tumores, atrophiam pulmonarem, ossium distortionem, indeque gibbositatem aliosque non paucos morbos huiusmodi, in tenella infantum corpuscula traductos fuisse, vel progressu aetatis tacita labensim prorupisse: nunquam tamen luem veneream vere sic dictam et pathognomonicis signis conspicuam, iure quasi haereditario, in infantes transmissam se observasse.

Et haec quidem de contagione in transitu infantis per vaginam syphiliticâ hactenus. Praeterea autem et matrem et nutricem, et famulam, primis post partum

11) De morbis venereis, Tom. I, p. 121.

diebus contagio syphilitico quomodocunque lactentem puerum conspurcare, indeque morbum syphiliticum congenitum haberi posse, qui tantum acquisitus sit, utique monendum est. Sic nutrices infantes saepissime per mammae papillam inficiunt, ulceribus syphiliticis obsessam, quod haud rarum est, quia stimulus lactationis saepius causa fieri videtur, qua venenum ad has partes traducatur. Famulae, quae infantes custodiunt, contagium eo iis impertiunt, quod nutrimenta praemandunt, cum ulcera syphilitica in ore habent, aut partibus genitalibus iisdem occupatis, quas frequenter tangendo manus inquinantur, contagium mox in tenellam quamvis pueri partem translaturae.

Restat ut aliam etiamnum ac singularem, qua neonatis contagium syphiliticum inferri potest, viam commemorem, cuius licet rarae accuratissime tamen quisque medicus et chirurgus rationem habeat oportet, quam quidem observandi Rust¹²⁾ occasionem habuit. Liceat mihi verba huius viri proferre. „Ante quinquennium,“ inquit, „in urbe Cracoviensi plures neonati in pene ulceribus affecti erant. In consilium advocatus cum in genitalibus neonatorum contagium syphiliticum adesse non credidissem, sed cum ulcera potius ex circumcissione praeputii in pueris iudaicis orta esse putarem, remedia tantum exsiccantia, et quidem saturnina, praescripsi; — sed non solum non meliora fiebant, sed magis magisque syphiliticorum genuinorum speciem assumebant. In matribus, nutricibus et famu-

12) Helkologie, Wien, 1811, 2ter Bd. Pag. 13. Anm.

His domesticis diligentissima exploratio instituebatur sed nusquam sufficientem huius singularis rei causam reperi. — Morbus latius usque serpsit, ita ut quisque sere neonatus iudaicus ulceribus syphiliticis afficeretur, et plures, qui medici auxilium negligebant, lue universali corripentur. Res nunc omnium attentionem excitavit, cumque animadvertissem, nullam puellam, sed semper tantum pueros, et quidem paucis post circumcisionem iudaicam diebus hoc morbo affici, circumcissioni proximae ut ipse interesset postulavi. Ibi virum hoc negotium peragentem operatione absoluta sanguinem labiis exsugere vidi, antequam vulnus pulvere exsiccante conspergebatur. Illico os eius explorans inveni, quod suspicatus eram, totum nempe oris et faucium cavum ulceribus syphiliticis affectum, quae quidem ratione in neonatos contagium syphiliticum emanaverat.“

Sane haec contagii via ad rarissimas pertinet, nec simile unquam, quoad ipse memini, exemplum litteris proditum est, cum haec operatio plerumque hominibus bonis et probis, et quidem patri familiae, mandetur. Dignissima autem est, quae hoc loco commemoretur, quum medicos prae ceteris ad summam observandi accuratorem in eruendis syphilidis neonatorum causis provocet.

P r o g n o s i s.

Ut adultorum syphilidem medicina saepissime frustra impugnat, maximeque ea periclitantur, in quibus altius radices egit, ita pueri facili plerumque ne-

gotio ea liberantur, dummodo diagnosis certa sit aptaque curatio adhibeatur. Attamen hic morbus semper periculosus est, sanitatem puerorum destruit, haud raro etiam lethalem exitum sumit, si cura negligitur. Prognostica ad syphilidem neonatorum haec fere sunt:

Infantes facilius curari posse dicuntur adhuc lactentes, quam postea. Causa huius rei esse videtur, quod hydrargyrum maxime in systema reproductivum vim suam exercet, quod quidem omnino primis aetatae annis praevalet.

Contenditur etiam ab auctoribus, infantes, qui in partu inficiuntur, difficiliore esse curatu, quam tales, qui post partum demum per nutricem infecti sunt. Hoc eo niti videtur, quod in nutricibus diagnosis faciliior est, quoniam in his medicus syphilidem suspicatur, atque eam saepius invenit quam in puerperis.

Observatio Girstanneri, qua pueri syphilitici multo facilius aetatem infantilem superant, quam sani, absurda quidem videtur, non tamen est, si consideramus, mercurium, qui in syphilide neonatorum adhibetur, in systema reproductivum, uberrimum tot infantum morborum fontem, saluberrime agere, eoque non tantum syphilidi, sed etiam omnibus perniciosis huius systematis morbis remedium optimum fieri.

Facies senilis et rugosa malum signum est. Prognosis autem mala est, si infans haud calescit aut semper dormit; si alvus est copiosior; si inter lactandum voce debili vagit, et si semel vel bis lactavit, tum desinit.

In ore ulcera venerea labiorum et aphthae curari

ssunt, si levia et superficialia sunt, si infantem in
atione non impediunt, et si posterior oris pars
ee se habet. Sed rarissime omnia haec symptomata
aoris inveniuntur momenti.

Quod attinet ad oculos, oedema palpebrarum, se-
tio mucosa vel purulenta et diabrosis corneae symp-
mata sunt, quae magis terrent quam periculum af-
ant, donec excretio adest. Haec symptomata non
ifera sunt, sed infantes in periculum incidunt, ne
ccuratione corneae obcoecentur. Interdum ophthal-
neonatorum tam vehemens est, ut totus bulbus
suppurationem abeat. Quod si accidit, signum le-
ce est, quia inter oculum et cerebrum consensus
ximus locum habet.

Symptomata aurium periculosissima, si sedem
media auris parte habent; sed in externa auris
ce levioris momenti sunt. Idem valet de pustulis
vis aridis atque etiam de tumoribus inflammatis
facie. Sed pustulae planae lividae, quae brevi tem-
pe crustas formant, multo periculosiores sunt, et
ad contagium vehemens indicant et exsiccatione ve-
rum repellitur atque ideo lethale fit.

Gravedo symptoma lethale est, quoties nulla
etio vel nulla metastasis salutaris locum habet, aut
ares adeo obstructae sunt, ut infantes in respiran-
impediantur, caput retro vertant et facies rubescat.
Ulcera venerea labiorum lethalia sunt, si in media
um parte sunt, aut si frenulum labii afficiunt. Idem
et de ulceribus syphiliticis oris, quamvis super-
ria sint; porro, si ad mediam palati mobilis par-
extenduntur, et si os nigrescit.

Tumores in abdomine omnes phlegmonodem naturam assumunt atque celeriter in gangraenam abeunt. Ceterum inflammationes phlegmonodes neque discuti neque in suppurationem promoveri possunt et fere semper lethales sunt. Idem valet de ulceribus in regione umbilici, quae brevi tempore lethalem exitum habent. Omnes affectiones in regione umbilici in neonatis periculosae sunt, quare medicus ad quamque exulcerationem, quamvis non syphiliticam, in hac regione animum attentissime advertat oportet.

Ulcera in scroto et circa os sacrum curari possunt, nisi nimis magna sunt et nisi infans aliis symptomatibus periculosis laborat. Ulcera circa os sacrum facillime in cariem transeunt atque eo vitae periculum afferunt.

Pustulae magnae purulentae in digitis manus et pedis curationem admittunt, si singulares sunt nec adeo frequentes. Sin autem valde frequentes sunt confluuntque, cum inflammatione coniunguntur aut in gangraenam transeunt, quare tunc insanabiles atque lethales evadunt.

In cuti pustulae purulentae singulares atque exanthema venereum bonam prognosin ostendunt. Sed si pustulae hae in corpore et in genitalibus frequentes extenduntur, tum curari possunt, si curationem incipias, antequam infans nimis debilis factus est, aut antequam ulcera latiora facta sunt. Idem valet de exulcerationibus superficialiis purulentis, de rhagadibus, de tuberculis in ano et in pedibus. —

T h e r a p i a.

Ipsa curatio aptissime in prophylacticam et radicalem diducitur. Primum ergo quaerendum est, quando gravidas lue venerea affectas agere conveniat.

Cura prophylactica.

Ut lues venerea, qua gravida mulier laborat, a se arceatur, cautione opus est, et quidem variae ratione medici hanc avertere conati sunt. Hildanus 1) de gravida narrat, quae, praemissis praeter optimam victus rationem purgantibus, mercuriali linimento salivationem subierit, adeo ut et infanti, quem lactabat, multum salivae per os effluerit: curata tandem fuit una cum infante mater, et post sex circiter menses vivum sanumque peperit infantem. Memorat Mauriceau 2) plures lue venerea laborantium gravidarum feliciter salivatione curatarum historias. Bell 3) ad curationem gravidarum lue venerea affectarum mercurio per infractionem semper utendum esse ait, quia hac ratione certissime vomitus atque diarrhoea praecaveantur, quae remedia mercurialia in se adhibita saepe efficere soleant. Hac ratione tantum periculum abortum faciendi arceatur, quem venenosi et intestinorum irritatio excitare possit, si mercurius interne adhibeatur. Sed quaeritur merito,

(Cent. V. Obs. 97.

Obstetr. art. lib. I. cap. 25.

l. c. Bd. 2. p. 356.

an praegnantes, lue venerea infectae, sine discrimine sanitatis tum propriae tum foetus tuto per mercurialia sanari possint? Secundum experientissimorum medicorum observationes mercurii tum interne tum externe adhibiti usus semper abortum efficit, et quamvis alii dicant, gravidas lue syphilitica laborantes etiam sine mercurii usu tamen partum prius edere, hoc quidem haud saepissime observatur, atque mercurii usus durante graviditate semper remedium periculosissimum est. Equidem mercurio ad gravidarum sanationem tum tantum uterer, si lues venerea in iis tam altum gradum assecuta est, ut vita periclitentur. Si v. c. gravida ulceribus syphiliticis in faucibus laborat, quae palatum destruere minantur; si ozaena affecta est, et doloribus osteocopis nocturnis vexatur, gravidam mercurio utique persanare studerem, et quidem pro rerum statu curationi Weinholdianae eam subiicerem, vel infrictionibus mercurialibus atque diaeta parcissima eam curare conarer, nulla quidem ratione foetus habita, cum hic indicatio adsit, unam saltem vitam servandi, atque matris vita maioris momenti sit quam foetus. Expectare quidem licet, si mater non sanatur, foetum non tantum praemature editum iri, sed etiam, si hoc non accidit, tam debilem atque exanimem lucem conspecturum esse, ut vix per paucos dies vitam degat. Quodsi autem gravida tantum fluore albo vehementi, atque, ut verisimile est, syphilitico, vel si ulceribus in partibus genitalibus affecta est, cavendum est, ne foetus in transitu per vaginam contagium suscipiat. Quare curandum est, ut statim post tunicas ovi ruptas partes externae atque vagina aut

diluta argenti nitrici fusi solutione, aut hydrargyro muriatico corrosivo multa aqua soluto diligentissime atque saepius abluantur. Si vagina valde arida est, injectiones ex oleosis fiant aut adipe vagina infricetur necesse est, ut hac ratione lubrica reddatur. Si ulcera syphilitica adsunt, brevi ante partum unguento mercuriali illinantur. Statim post partum tota neonati cutis diligentissime aqua saponata, quin imo solutione vel argenti nitrici fusi vel hydrargyri muriatici corrosivi valde diluta lavetur, et quidem eae partes imprimis respiciantur oportet, quae durante partu maxime premebantur. Ceterum medicus magna diligentia sanitatem nutricis examinet necesse est, antequam puer mammae admovetur, atque omnino in educatione tantum infantum maxima diligentia adhibeatur. Fortasse hac via atque ratione contagium syphiliticum a foetu in transitu per vaginam avertere contingit.

Cura radicalis.

Quodsi cura prophylactica modo exposita non observata est, iamque lues venerea symptomata supra memorata in pueris ostendit, statim ad eam sanandam accedamus et mercurius adhibeatur oportet. Plerumque duae methodi sunt, quibus infanti hoc remedium applicatur: aut nutrici vel matri lactanti, aut infanti ipsi mercurius exhibetur.

Curatio per nutricem difficillima est et longa, si etiam nutrici optima, qua fieri potest, ratione mercurius praebetur; est autem inutilis, si infans ulcera syphilitica in ore habet, quia tum sanae nutricis mammae ab infante venereo mox contagio affectae paulo

post lactationi ineptae redduntur. Tum etiam experimenta illustrarunt, in lacte talium nutricum vel etiam animalium, quibus per longum tempus mercurius praebebatur, neque ullum huius metalli vestigium repperitum esse. Attamen num ex his experimentis re vera assumendum sit, lac tale infantibus ingestum impar esse sanandae syphilidi, quaeritur. Constat tamen, lac maternum corticis Chinae usu vim febrifugam, et remediis purgantibus vim purgantem assumere, quamquam haec medicamenta haud quaquam ei per se admiscentur. Atque saepissime quidem hac methodo, dum nutrici mercurius praebebatur, syphilis sanata esse dicitur, et observatum est, in nutrice ipsa mercurium tantum cautissime, et optime quidem per frictiones adhiberi debere, nisi lac infanti damno sit, tormina vehementia et diarrhoeas efficiat et infelicem quidem eventum adducat. Attamen raro pro venereo infante nutrix sana etiam magna data pecunia tali mercurii usui se subiiciet; tum etiam crudele foret, eam nutritione infantis syphilitici contagio exponere. Optimum itaque erit, ut infans venereus, praesertim cum symptomata eius localia in ore adsint, via artificiali nutriatur. Haud infitiandum quidem est, hac ratione vitam talis infantis difficillime tantum servari posse. Attamen si infantem nihilominus per mammam matris nutriris vis, fortasse aptum esset, nutrici semper mercurium interne porrigere; non solum eo consilio, ut infans hac re sanetur, sed ut nutrix ipsa tuta reddatur. Infanti diutius mammam nutricis praebere, quae ei contagium syphiliticum intulit, nullo modo suadendum esse quisque facile intelliget. Ceterum in-

ens statim a mamma amovendus est, si symptomata localia in mammae papilla observata sunt.

Alii, v. c. Rosenstein, suaserunt, ut caprae aliquis corporis locus ad cutem tondeatur, unguentum mercuriale illinatur, atque infans huius caprae lac bibat. Sed talis lactatio valde incommoda est et capra cecevi post in trisimum incidit ac simul cum ea infans perit.

Etiam curatio per fumigationem in sananda neonatorum syphilide laudata est imprimis a facultate medica Parisiensi. Cinnabaris vel Hydrargyri sulphurati rubri grana duodecim ad quindecim in cubiculo hanc rem parato in carbones sparguntur, et infans nudo corpore veste involutus initio per partem sexagennam horae quintam, tunc decimam et denique tricenariam vapori exponitur, ubi tamen caput liberum servari debet. Postea infans non statim in lecto ponendus est, sed aliquamdiu sub divo circumferatur portet. Facultas medica confirmat quidem plus quam quindecim fumigationes raro ad curam perfectam necesse fuisse; haec tamen methodus periculossima est quidem valde incommoda multasque difficultates traebet.

Optima syphilidem neonatorum sanandi methodus semper haec erit, qua infantibus ipsis mercurius interne porrigitur, maxime cum hydrargyri usum optime, quidem melius quam adulti, ferant. Sed medicina mercurialia lenia aptissima sunt et maxime tuta; vehementiora haec tenerrima aetas non sustinet, quare monia salia mercurialia graviora, ut hydrargyrum muticum corrosivum, mercurius nitrosus et phospho-

ratus, interne adhiberi non debent. Idem⁷ valet de mercurio praecipitato rubro, qui ad internum usum incommodus est. Optimum remedium erit Hydrargyrum muriaticum mite ad grani partem octavam, quartam vel dimidiam pro aetatis ratione bis die porrectum. Etiam Mercurius solubilis Hahnemanni valde laudatur iisdem dosibus, quibus Calomelas, attamen non plus quam grani quadrantem pro dosi adhiberi oportet. Si diarrhoeae copiosae incidunt, Calomelas vel Hydrargyrum oxydulatum nigrum cum pulvere gummi mimosae coniungatur et in regione ventriculi et umbilici unguentum illinatur ex unguenti rosati cum Ol. Nucistae aa uncia dimidia, et mixturae oleosobalsamicae drachmis duabus. Inunctiones quoque, ad partes femorum brachiorumque internas iuxta vasorum lymphaticorum cursum itidem adhiberi et vicissim institui possunt. Etiam mercurius gummosus Plenckii, mellitus et saccharatus haud incommoda remedia sunt. Magnum usum praebet hydrargyrum cum sulphure et antimonio coniunctum, ut Aethiops mineralis et antimonialis, Pulvis Plummeri.

Salivatio neonatorum rarissime a mercurii usu timenda est, attamen si appareat, quod semper tarde accidet, regimen diaphoreticum observetur, mercurii usus per aliquot dies intermittatur et medicamentum leniter laxans porrigatur ad salivationem sistendam.

Maximi momenti in sananda neonatorum syphilide est diaeta. Lac neque tenuius neque spissius esse debet, sapor sit dulcis atque gratus, non acidus, quia hoc cum mercurii usu non convenit. Tum etiam balnea adhibenda sunt, tum ex aqua tepida tum ex herba Cicutae aliisque decocta. Observatio tamen post balneum adhibenda est, ut infans quam celerrime detergatur, ne refrigerium patiat. Praeter balneum aëris puri accessus ad infantem quotidie praestetur, sed abstinetur, si coelum nubilum atque frigidum est. Ceterum etiam externa mundities tum quod attinet ad cubiculum, tum ratione linteorum adhibenda est; praeterea motus in aëre puro calido non negligendi sunt, et vestes infantis semper tales esse debent, ut refrigerium non admittant.

Curatio variorum symptomatum localium in universum eadem est ut in adultis. Ulcera atque aliae degenerationes syphiliticae solutionem hydrargyri mu-

matici corrosivi valde dilutam et unguentum hydrargyri
libri lene postulant. Attamen usus remediorum lo-
tillium in ulceribus venereis saepissime in ore appa-
rentibus magnam difficultatem praebet magnamque
cautionem exigit, ne quid infans devoret.

Restat ut aliqua de curanda ophthalmia syphilitica
in neonatis frequentissima proponam. Si medicus initio
morbi statim (quod quidem rarissime accidit) vocatur,
methodo antiphlogistica et quidem pro morbi et con-
stitutionis ratione modo efficaciori modo leniori uti
libet. Quare hirudo in interno oculi angulo appli-
citur et aqua frigida in oculum adhibetur. Sed ra-
rissime in hoc primum morbi stadium medicus incidet,
nam si mucii vel puris secretio maxima est, prae-
sertim mundities diligentissime adhibenda est, ne
materies puriformis oculum et imprimis corneam laedat.
Atque saepissime fomentationes in oculos ex lacte
caedo, infuso florum Chamomillae, Malvae, fiant,
cuiusmodi cautissime spongia ex eiusmodi aqua decocta ex-
pressa purgentur, palpebra superiore antea diligentis-
sime levata, et si palpebrae propter magnum coniunc-
tae tumorem aperiri non possunt, ope clysteris sub-
oculis aquae supra memoratae in angulum oculi ex-
ternum infundantur. Nocte quidem hae lotiones oculi
saepissime iterentur necesse est. Remedia acria ad-
hibenda tum demum adhiberi debent, si vehementia
inflammationis debellata est, quod quidem brevi con-
tingitur. Initio fomentationes saepissime iteratae
linthea ex infuso herbarum aromaticarum, vel ex
solutione Vitrioli albi aut extracti saturnini (grana vi-
trioli ad triginta ad aquae uncias decem) expressa con-
tinentur; postea si mucii secretio minuitur, Vitrioli al-
bi grana quinque, decem ad quindecim aquae destil-
atae unciis octo soluta, additis spiritus camphorati
unciam semis, vel Camphorae uncia una, Vitrioli coerulei
et Boli armenae aa unciis quatuor maximum usum
habent, quam mixtionem Ware et Scarpa adhi-
bent, et quidem huius pulveris uncia dimidia ad aquae
gram sumitur, percolatur atque residuum tanquam
collyrium adhibetur. Haud minus ab Heckero aliis-
que formula haec laudatur:

R, Hydrargyri muriatici corrosivi gr. dimid. — 1-2.
Extracti Opii aquosi drach. dimid.
solve in

Aquae rosarum unc. IV.

Mucilaginis Seminum Cydoniorum unc. dimid.
MD.

Adamus Schmidt hanc formulam commendat, quae etiam instituto clinico huius universitatis chirurgico-ophthalmiatrico maximo cum fructu adhibita est:

R. Zinci sulphurici Scrupul. dimid.
solve in

Aquae rosarum unc. VI.
adde

Aceti saturnini drach. dimid.
Spir. camphor. drach. I.
MDS.

Ter die oculus hac aqua spongiae ope eluitur, bis quotidie spongia oblonga immergitur, atque guttulae aliquot inde expressae in oculum iniiciuntur, tum lintea ea madefacta saepius oculo imponuntur, quae per horam ibi relicta optime oculo conveniunt. Si ulcera in cornea apparent, quotidie Laudanum liquidum Sydenhami semel vel bis penicilli ope in oculum fertur. Si denique chronica tantum palpebrarum intumescencia resistit, unguentum ex Hydrargyri praecipitati rubri drachma una vel una et dimidia cum Butyri recentis insulsi unciis duabus, vel idem remedium cum Tutia, Lapide divino et Camphora adversus maculas corneae remanentes maximo cum eventu adhibetur. Omnino autem in hac curatione operam nos dare oportet, ut varios inflammationis gradus recte cognoscamus, et quidem modo remedia relaxantia, modo stimulantia et adstringentia adhibeamus. Ceterum secretio purulenta celeriter tolli non potest. Malum enim certas periodos absolvere debet; per mensem certe vel sesquimensem persistit, et remediis fortibus nil efficitur, contra damnum aegrotulo infertur. Praeterea aegrotulus in aëre puro sicco, neque nimis calido neque nimis frigido, atque in cubiculo bene obscurato habeatur. Ad internum usum Hydrargyrum muriaticum mite praestantissimum est.

VITAE CURRICULUM

DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADIECTUM.

Jo. Guilelmus Ries mense Januario anni MDCCC
amburgi natus sum. Parentes carissimi ut in scholis
privatis a tenerrima inde aetate primis litterarum initiis
prouer curaverunt; puerum vero me et adultum gym-
asio, quod Altonae floret, mandavere. Uno tantum, et
quod excurrit, anno praeterlapso, artibus et litteris, qui-
bus mihi me dederam, eruditus, scholam adii, quae Joan-
nomine rectore J. Gurlitt, viro clarissimo, hodieque
amburgi floret. Ex qua omnium praeceptorum con-
suetudine iuuenili aetate rite ac solemniter dimissus, et manu
rectoris, — cuius cum egregiae humanitati tum doctissi-
mi institutioni permulta me debere gratissimo profiteor
anno, — maturitatis testimonio exornatus, ut arti me-
dicae et chirurgicae studerem, Kiliam me contuli, ubi
Friedemann, rectore magnifico, septimo Calend. Maii
anni MDCCCXX civium academicorum numero adscrip-
tus. In hisce interfui scholis: Ill. Fischer de osteologia, de
lymphaticorum anatomia et pathologia, de ana-
tomia et physiologia nervorum corporis humani et de
arteriis venisque; Ill. Pfaff de Physica experimentalis, de
magnetismo, Calore, Chemia materiae medicae et de visu
humano naturali quam instrumentis adiuto; Ill. F. Weber de
Botanice et Ill. Reinhold de Logice. Ill. Fischer et Exp.
Hansen, illius universitatis prosector, cadaveribus disse-
ctionibus me instituerunt. Inde Octobri mense anni
MDCCCXXI Berolinum profectus sum, ubi a Cel. Wil-
helm, fascies academicas tunc temporis tenente, in album
adscriptus has frequentavi scholas: Ill. Rudolphi de ency-
clopaedia medica, de anatomia generali et organorum sen-
suum, de anatomia comparata et pathologica, atque de
physiologia; Ill. Knape de splanchnologia. Iisdem quo-
que viris ducibus in secandis me exercui cadaveribus.
Ill. Link Botanice et Pharmacologia aequae ac Biologia;
Ill. Hermbstaedt Chemia experimentalis; Exp. Schubarth
Chemia pharmaceutica et Toxicologia me instituere.
Ill. Illis deinde, quas Cel. Osann de materia medica et de
medicamentis medicatis habuit, interfui. Cel. Wagner praeter
praeterea, quae pathologiam, materiam medicam et the-

rapiam generalem complectitur, medicinae practicae partem Medicinam quoque forensis mihi explicuit. Illustr. Horn pathologiam, therapiam specialem, morbos syphiliticos; Perill. C. W. Hufeland Diaeteticen, pathologiam et therapiam morborum acutorum me docuerunt. Ill. Berends Hippocratis aphorismos, Cel. Hecker Celsi aliquot libros exponentes audivi. Nec minus Chirurgiam tam generalem quam specialem, Akiurgiam, artem fascias imponendi atque Ophthalmiatricen Exp. Jüngken me edocuit. Cel. Kluge de ossibus fractis et luxatis disserentem audivi. Ill. de Siebold et arte obstetricia tam theoretica quam practica me instruxit et in machina phantome me exercuit. Interfui denique exercitationibus clinicis, tum medicis, tum chirurgicis, in iis, quibus Ill. Hufeland, Berends, de Siebold, Graefe et Neumann praesunt, litterarum Universitatis nostrae institutis et in Caritatis nosocomio. Ceterum morborum curandorum occasionem mihi praebuit Exp. Boehr, cui etiam ob summam humanitatem, qua usum librorum suorum ad dissertationem hanc conscribendam mihi concessit, gratias ago quam maximas. —

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, specimine hoc academico publice defenso, hodierno die Doctoris medicinae et chirurgiae honores rite adipiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Syphilidem hereditariam atque congenitam nego. —

II.

Signa graviditatis omnia incerta.

III.

Arthritidem inter et Rheumatismum maximum discrimen.

IV.

Urethritidis et ulceris venerei non idem contagium.



